



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 1. De Duplicibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

TITULUS II.

DE DIFFERENTIA OFFICIORUM.

Tria sunt genera Officiorum

Nimirum

Duplicia, Semiduplicia, & Simplicia.

§. I.

De Duplicibus.

L Duplicia Festa vel Officia dicuntur illa, in quibus Antiphonæ in Matutino, Laudibus, & Vesperis ante & post Psalmos integræ dicuntur. Horum quatuor sunt Classis.

II. Duplicia *primæ Classis* sunt, in quibus nulla fit Commemoratio, nisi de omni in primis die Octava; deinde de diebus etiam infra Octavam privilegiatis (puta Epiphaniæ, Paschæ, Corporis Christi) Vigiliâ Epiphaniæ, Dominicâ, & Feriâ majore occurrentibus, & respectivè concurrentibus; item de Duplicibus secundæ Classis concurrentibus in primis ac secundis Vesperis; de Duplicibus verò alijs, & Semiduplicibus in secundis tantum. Quòd tamen non ita intelligendum est, quasi omnia Duplicia hujus Classis ejusmodi commemorationes admittant, sed quòd aliqua saltem, imò pleraque illorum eas non excludant; nam alioqui Festa Paschatis & Pentecostes cum duabus Ferijs sequentibus; item tres Feriæ postremæ Sacræ hebdomadæ, quæ etiam sub ritu Duplici celebrantur, & quia nulli Festo cedunt, his Duplicibus meritò annumerantur, nullas omnino commemorationes admittunt.

III. Duplicia *secundæ Classis* sunt, in quibus nulla fit Commemoratio, nisi de die Octavâ, & diebus infra Octavam privilegiatis, puta Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Christi, Dominicâ per annum, Feriâ majori, Vigilia, & Simplicis Festo occurrente (sed de his duobus in Laudibus tantum) & de Duplici quocunque, ac Dominica Primæ ac Secundæ Classis in primis Vesperis, de Die infra Octavam verò & Festo

quocunque minùs digno in secundis Vesperis concurrentibus. Ad hæc Festa præter ea, quæ in Breviario notantur etiam Festa S. Stephani, & SS. Innocentium à Gavanto revocantur, quod tamen de Festo S. Stephani aliqui in dubium vocant, ut p. 4. tit. 2. n. 7. dicitur.

IV. Duplicia *Maiora* per annum sunt, quæ alijs Minoribus in occurſu præferuntur, & admittunt omnis generis Commemorationes, qualia præter ea, quæ in Breviario in Tabula Occurrentiæ assignantur, insuper sunt dies Octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi, & Festum Patroni minùs Principalis, teste Gavanto. f. 3. n. 6. alia tamen Octavæ, etsi in occurſu alijs Duplicibus etiam majoribus per annum præferantur, quia tamen ijsdem Majoribus Duplicibus in concursu cedunt, cum Minoribus verò Vesperas dividunt, ideo plerumque inter Majora Duplicia numerari non solent.

V. Duplicia *Minora* per annum sunt, quibus in Calendario vox *Duplex* additur, nec tamen in prioribus tribus Duplicium classibus comprehunduntur. Item Festum Sancti, cujus principalis aliqua Reliquia habetur: Translatio Patroni principalis: & dies Octava Festorum, quæ est distincta ab Octavis priori numero inter Duplicia majora numeratis.

VI. Omnia hæc Duplicia tria habent privilegia, per quæ ab alijs Festis distinguuntur. 1. Quòd Antiphonæ modo supradicto duplicentur. 2. Quòd suffragia communia non admittantur. 3. Quòd nullæ preces dicantur.

VII. Vocantur etiam hæc Duplicia uti & Semiduplicia frequenter in Rubricis Festa novem Lectionum, quia ordinariè habent tres Nocturnos, & novem Lectiones. Dixi *ordinariè*: nam Festa Octavarum Paschatis & Pentecostes unum duntaxat Nocturnum cum tribus Lectionibus habent. Pari modo tam Duplicia, quàm Semiduplicia binas exigunt Vesperas, primas & secundas, excepto triduo Feriarum ultimarum Sacræ hebdomadæ, quarum officium, licet duplici ritu celebretur, tamen post Nonam terminatur. Item exceptâ Vigiliâ Nativitatis, quæ licet à Laudibus ritum Duplicis habeat, non tamen habet primas, neque secundas Vesperas.